

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1319

Auteur(s) : Guillaume Toustain [clerc]

Auteur(s) : Henri Toustain [prêtre]

Bénéficiaire(s) : Robert de Caen, Bayeux (vicaire)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, décembre

Lieu d'émission : Saint-Loup

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume et Henri, fils de Toustain, autorisés par « domina » Thomasse de La Conseillère, veuve de Nicolas d'Anisy, vendent et garantissent à, une rente annuelle de 20 sous tournois sur un masuagio à Saint-Loup : Robert leur donne 12 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DXLVI, t. 2, p. 298-299.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod ego Guillelmus Tustini, clericus, et ego Henricus Tustini, presbiter, fratres, vendidimus et concessimus, de assensu et voluntate dominæ Thomassie de La Conseillere, relictæ Nicholai de Aniseio, militis defuncti, domino Roberto de Cadomo, vicario in ecclesia Baiocensi, viginti solidos Turonenses annui redditus, percipiendos annuatim, videlicet decem solidos Turonenses ad Nativitatem sancti Johannis Baptistæ, et decem solidos Turonenses ad Nativitatem Domini subsequentem, eidem vicario et ejus hæredibus, seu causam habentibus vel habituris ab eo, in quodam masuagio quod habemus et tenemus de dicta domina Thomassia, in parrochia Sancti Lupi Baiocensis, sito in vico qui dicitur Porta Arborea, inter domum Michaelis dicti Sebrien, ex una parte, et masuram hæredum Guillelmi Lardier, ex altera : tenendum et habendum dictum redditum, et percipiendum annuatim in dicto masuagio, ut dictum est, et jure hæreditario possidendum eidem vicario et hæredibus, seu causam habentibus vel habituris ab eo, libere, pacifice et quiete, sine reclamazione et contradicione nostri vel hæredum nostrorum, salvo tamen jure domini capitalis. Et poterit idem vicarius et ejus hæredes, seu habentes causam vel habituri ab eo, pro dicto redditu habendo in dicto masuagio nostro, plenariam justiciam, cum necesse fuerit, exercere. Poterit etiam idem vicarius dictum redditum vendere, dare et elemosinare, ubi et quando voluerit et sibi viderit expedire. Et nos tenemur eidem vicario et ejus hæredibus, vel eis qui causam habebunt ab eo, et etiam hæredes nostri dictum redditum garantizare, reddere, deffendere in omnibus erga omnes, vel alibi excambiare, si necesse fuerit, competenter. Pro quibus venditione et concessione, garantizatione et deffensione, idem vicarius nobis dedit duodecim libras Turonenses in peccunia numerata. Et, ut hoc sit firmum et stabile in perpetuum, dicta domina Thomassia, ad petitionem nostram, sigillum suum una cum nostris sigillis

duxit præsentibus litteris apponendum. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense decembri, coram parrochia Sancti Lupi prædicti.